QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ quintâ Novembris.

M. FRANCISCO AIGNAN, Doctore Medico, Præſide.

An Dyſenteriæ, potiſſimùm pituitoſæ, ſtatim initio, Emetica?

I.

OMNIS cruenta egeſtio per inteſtina, dyſenteria ab Hippocrate dicitur. Egeſtionis illius cruentæ multæ ſunt cauſæ, multiplex item ſpecies atque modus. Cauſæ ſunt (antiquioris medicinæ calculo) hepatis ἀτονία, evacuatio periodica, expreſſio ſymptomatica, ac tandem exulceratio inteſtini, in qua abradendo & exulcerando moleſta ſunt quæ illùc confluunt, & illàc effluunt excrementa; qualia eſſe ſolent colliquamenta febrium tabificarum, tum critica febrium acutarum, tum dyſenterica ſplenicorum excrementa, poſtremo eorum, qui ſponte dyſenteriæ morbo implicantur, quam vel bilis flava, vel atra, vel etiam pituita putris & ſalſa excitavit. Hæc omnia ſigillatim perſpiciat Medicus, ut convenienter, & appoſitè remedia præſcribat. Prima igitur dejectionis cruentæ cauſa eſt hepatis ἀτονία, quæ cernitur in ventris proluvie rubra, quam vulgus Medicorum fluxum hepaticum vocat; in hac egerendi ratio facilis eſt, ſine morſu, ac tormine inteſtini, donec adultior facta cœperit eſſe nigra, & inteſtinis moleſta. Altera dyſenteriæ cauſa, eſt hepatis εὐτονία, cujus virtute prorumpit ſanguis ad inteſtina fortiter, ac liberaliter; ac ſalutaris eſt illa dyſenteria, & periodica puri ſanguinis. Talis eſt verna dyſenteria Epheborum & juvenum, ſi fortè careant hæmorrhagiæ commodis, his enim ætatibus, cum cœperint Venerem experiri, vel aſperam vocem edere, ſanguinem illi profundunt è naribus. Talis eſt dyſenteria eorum, qui ad curationem cruris perfracti ſic parte ſauciâ collocantur, ut diutiùs

quam par est, altior fit. Talis eorum est etiam, qui altero crure sunt mutili, si nullam quotidiani victus partem detraxerint. Alia est ab oppressione hepatis, quæ non cietur liberaliter, & fortiter. Hæc triplex dysenteria merè cruenta est, & impermixta, diversam que prorsus curandi rationem exigit ab intestinali, quam ulcus intestini exprimit.

II.

INTESTINALIS dysenteria, cruentata est alui dejectio cum dolore, & ventris torsione. Hanc torminum appellatione comprehendit Celsus. Incipiente morbo, primum biliosa est alvus, aut certè mucosam fundit intestinorum pituitam, inde subpinquis fit, modico cruore perfusa: posthac strigmenta, interiores ve tunicæ intestinorum prodeunt excrementis cruentis ac purulentis mixtæ: novissimè ipsa deteritur, proditque cum purulentâ intestinorum proluvie caro, quæ veram eorum complet substantiam. Inter hæc autem omnia, cruor paulatim, & brevioribus intervallis per alvum manat, is que modo cum stercore aliquo, modo cum mucosis quibusdam corpusculis excernitur: multus in ano dolor, multa que ac frequens desidendi cupiditas est: cum utroque hoc exiguum quid exit, protinus que tormentum intenditur, ac rursus post paulum levatur, ipse æger quiete caret, & à somno interpellatur, dejectionibus & interdum febriculâ impeditus. In quo autem maximè intestino morbus inhærescit, primùm ex situ doloris intelligitur, deinde ex permixtionis ratione. Etenim si dolor altius circum umbilicum versatur, si cruor, & quidquid corraditur fæcibus alvi exquisitè misceatur, intestina superiora afficiuntur: si vero id purum ac minimè permixtum excidit, seorsum que alvi fæces descendunt, inferiora, crassiora que morbum sustinent.

III.

DYSENTERIÆ intestinalis (ut omnium fere morborum) causa procatarctica, seu evidens, duplex recensetur, diœta & aër. Priorem accuratè notavit Hippocrates in biliosis, quibus pleuritide laborantibus, si imperatur meracior aqua mulsa, illa gignit bilem crassam & effæram, quæ intestina, & sedem exulcerat. Idem accidit per edacitatem carnium bubularum, & ingluviem vini fortis, id que potissimum æstate, quæ calidissima sit, & siccissima; & in his quibus ventres nimiùm calent; his enim fortia vina, & cibi perturbatio-

nem faciunt summi Dictatoris oraculo. Aër dysenteriarum feracissimus procreator est, si tempestatum alteratione & alienatione inficiatur, & corrumpatur. Ab iis duabus causis bilis aut flava redditur, aut nigra, atque pituita seu liquor gastricus putris & salsus, quæ proximè alvinam dysenteriam exulcerando faciunt. Harum trium internarum causarum, quæ dysenteriam procreant, frequentior & paratior ad id pituita est; quod probant temporum defectiones, quibus uberius cumulatur ille humor, autumno scilicet ob tempestatis illius inæqualitatem, qua perspiratio impeditur, πλεονεξία serosa generatur, alvi que humectantur, quo idcirco tempore dysenteria regnat sæpius epidemica. vere etiam sicco & aquilonio, si austri pluviæ que hyemem occuparunt, dysenteria plurimos malè habet; inde scilicet quod hyeme, & pluviosa Congeritur pituita, & austrina, calidiori scilicet, salsa evadit: hujus humoris copiam & vitium adaugente aquilonio verè succedente; propterea que dysenteriis gignendis accommodata pituita, postquam illa diu multùm que mordendo & abradendo vitiaverit intestina, ut pote quæ in sinuosis intestinis subsistit, atque quodammodò stabulatur, ac pigro lapsu meat. Quo fit ut continenter acri sua qualitate abradendo exulceret, ac dysenteriam cum egestione cruenta edat.

IV.

DYSENTERIÆ pituitosæ, quæ singulis ferè annis in hac urbe popularis est, ideam & curationem nobis reliquit Hippocrates: hic sane morbus (inquit ille) accidit cum pituita & bilis affixæ sunt ad venas alvi, & ad ipsam quoque alvum; hîc vitiatur sanguis, & corruptus egeritur. Vitiatur etiam intestinum quod abraditur & ulceratur; atque hic morbus est longus, & sævus, & sæpè mortiferus: verum si firmo corpore, validis que adhuc viribus adhibita fuerit medicina, spes quidem est evadendi. Sin autem consumpto jam corpore, & alvo in totum exesâ remedia præscribantur, hìc nulla salus vitæ sperabilis. Igitur statim pharmacum dato potui, quod pituitam sursum expurget; tum postquam alvum lacte prolueris, reliquum corpus, ut decet, curato; ac siquidem febre careat, opimis, pinguibus, dulcibus atque humidis; continenter inutilia & incommoda ex alvo subducito: tum calidâ multâ, quæ infrà sunt umbilicum, partes foveto, si dolor adsit. Potiones autem sorbitiones, & cibos convenienter exhibere oportet.

V.

HANC dysenteriæ pituitosæ curandæ rationem ab Hippocrate commendatam, & in usum adhibitam servare debent, qui se ejus successores esse gloriantur. Itaque ut primùm hic morbus sui notas dederit & præsentis temporis constitutione, diætâ, & excretorum qualitate, & aliis signis, statim oggerendum est stibium, vel radix brasiliensis, quin etiam ipsum vitriolum, quorum aptius præscribet sagax medicus, & usu peritus. Hac arte vomitu excitato, humor pituitosus dysenteriæ causa utiliter evacuatur, alias nociturus, si diutius retineretur. Post modum humor superstes mitificandus erit; quod securè præstabunt sorbitiones ex hordeo, oryza, amygdalis, & seminibus frigidis paratæ. Non mediocriter quoque conferet lac vaccinum ignito ferro ustulatum, cui benè admiscebuntur cornu cerui, Ebur philosophicè præparata, terra lemnia, Corallia, Margaritæ, oculi cancrorum &c. in eundem usum injicientur Enemata ex decocto herbarum lenientium, capitis vervecini, suminis vitulini. si vero dolor urget, consilio Hippocratis, calidâ fovendus venter, vesicæ lacte plenæ huic imponendæ; quin & panni decocto emolliente madidi abdomini superjiciendi sunt. Nec temere hic Laudanum adhibetur. Quorum omnium vim æquat, venæ sectio, an non superat? Meminerit interim, qui curat, hæc secundaria esse præsidia, quæ tardioris adjumenti sunt & sæpius inutilis, nisi præcesserit vomitus Emetico sollicitatus.

Ergo Dysenteriæ, potissimùm pituitosæ, statim initio, Emetica.

Domini Doctores disputaturi.

M. Andreas Cressé.	*M. Ambrosius Nicolaus Chemineau.*	*M. Nicolaus Raissant, Senatus Parisiensis Medicus ordinarius.*
M. Armandus Josephus Collot.	*M. Joannes Gelly.*	*M. Petrus Pourret, unici Fratris Regis, dum viveret, Medicus ordinarius.*
M. Philippus Caron, Pharmaciæ Galenicæ & Chymicæ Professor.	*M. Michaël Sauvale.*	*M. Dyonisius Dodart, serenissimæ D. D. Principis Dotariæ de Conty Medicus, Regiæ scientiarum Academiæ socius.*

Proponebat Parisiis LUDOVICUS GUILLOT, Magniacæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1703.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.